



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LXXIX. S. Andreae Coenobium apud Brugas Flandrorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT LXXVIII.

*S. Crucis monasterium in opido Imperiali
Donauuerda.*

PRæclarum hoc monasterium fundatum initio legitur pro virginibus Deo dicatis anno 1100. à *Mangoldo* comite Dillingensi & Hiburgenfi, eiusque coniuge *Tuta*, & auctum postea à duobus alijs Mangoldis eiusdem stemmatis Comitibus. Quorum omnium communis exstat tumulus, hac epigraphe.

1100.

*Tres fundatores Mangoldi, Tutag³, flores
Cælestis prati, pausant simul hic tumulati.*

CAPVT LXXIX.

S. ANDREÆ

Cænobium, apud Brugas Flandrorum.

ANNO CIO. XCVIII. Robertus Hierosolymitanus, Flandriæ Comes, iubet per litteras vxori Clementiæ, cænobium aliquod construat in honorem D. Andreæ, ideo quòd is Diuus Petro Massiliensi sacerdoti apparuerat, auctorque exstiterat sacræ inueniendæ lanceæ. Clementia statim impetrauit ab *Baldrico* (alijs *Balduino*) Tornacensi Episcopo, & *Lamberto* Archidiacono, *Reinero*que Personâ gentilitiâ, altare in *Stratis*, alio nomine *Bertferkerck*, iuxta

An. 1098.

Brugas

Brugas. cœpitque mox ibi construere cœnobium nationis benedictinæ.

An. 1100.

Anno CIO. C. Robertus Comes ex Syria redijt domum, acceptus à suis popularibus incredibili lætitiâ, & cellam à se constructam iuxta Brugas in honorem D. Andrea, Fulgentio commendauit, Abbæ Haffligemensis, eâ conditione, vt is ex sua domo monachos eò mitteret.

An. 1182.

Anno CIO. CLXXXVIII. Andreani cœnobitæ iuxta Brugas, qui hætenus sub Haffligemensibus fuerant, agente Philippo Elsatio, Flandriæ Comite, Hugonem sibi peculiarem ac proprium acceperunt Abbam.

An. 1206.

Anno CIO. CCVI. obiit Hugo primus Abbas. *Meyerus in Annalibus Flandriæ. Eadem fere tradit Chronographus Affligemensis, cuius verba, fidei apud Lectorem augende, subiungam:* Locus iste datus fuit nobis à Clementia Flandrensium Comitissa, confirmante Balduino Tornacensium & Nouiomensium Episcopo, vt ibidem monasterium cõstrueretur. Actum anno Domini millesimo centesimo. Confirmauit nobis cellam istam Paschalis secundus Papa, anno Pontificatus sui sexto, Christi verò millesimo CV. Item rogante Frandrensium Comite Roberto, Episcopus Tornacensis liberam eam nobis fecit. Item Callistus II. anno sui Pontificatus primo, Domini vero millesimo centesimo nono decimo, cum suis pertinentijs, nobis eam confirmauit. Item Eugenius tertius, anno sui Pontificatus quarto, Chri

to, Chritti millesimo centesimo quadragesimo octauo. Item ab Alexandro diuisum est hoc monasterium ab Haffligemiensi, de consensu Abbatis Haffligemiensis, vt idem Abbas eligatur, per Guilielmum Remensem Archiepiscopum. Actum anno Domini millesimo centesimo octogesimo octauo. Item præsente Philippo Flandrensi Comite, monasteriū Haffligemiense quitauit Ecclesiam prædictā & liberam ab omni iurisdictione penitus, & absolutam clamauit, consentiens super electione Abbatis ibidem. Actum an. Domini millesimo centesimo octogesimo octauo. *Hactenus ille.*

CAPVT LXXX.

*Monasterium S. Petri in monte Matrona.
apud Bauaros.*

IN vertice Matronæ montis, qui in superiori Bauaria D. Petro dicatus, Oeno continuatur, supra castrum *Falckenstein*, atque in illius ditioe situm monasterium *Berchtoldus Comes ab Andechs & Dissen*, Monachis S. benedicti ædem condidit, circa annum 1100. Sic Auentinus. Alibi sic ponit, *Arnulphi Comitis filij, Poppo, Berchtoldus primus, Otto Vvolfratshusius, & Gebhardus, hoc monasterium fundarunt.* Defecit hoc monasterium postea, atque excisum est eo bello, quod Rudolphus **D**ux Bauariæ, iussu soceri, sui Adolphi, Rom.

1100.

Regis